

Pocz. 1316.

Sigismundus III.

Poloniae Rex designatus

Golinus Basilus: In serenissimi Sigismun-
di III. adventu Cracoviam.

PANEG. et VITAE


Polon. 4^o


N^o. 853.



4520
CIMELIA

X.XII.47e





+

IN SERENISSIMI
SIGISMUNDI III.
DEI GRATIA, REGIS POLONIAE,
DESIGNATI SVECIAE, MAGNI DUCIS
Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samo-
gitiae, Liouoniae &c. Magni Ducatus
Finlandiae haeredis,

Aduentu Cracouiam,
BASILIUS GOLINIUS



CRACOVIAE,
Ex Officina Lazari Anno Domini,
M. D. LXXXVIIJ.

IN SERENISSIMI
SIGISMUNDI III.

DEI GRATIA, REGIS POLONIAE,
DESIGNATI SVEDIAE, MAGNI DVOCIS
LITHVANIAE, RUSIAE, PRUSIAE, MAGNORVM SARONIAE,
GALLIAE, BRITANNIAE, DUCIS

BIBLIOTH. UNIV.



ADVENTICULI COLONIAE

Cim. Qu. 4520

BASILIAE COLONIAE



GRACOVIAE
EX OFFICINA LAZARI ANNO DOMINI

M. D. LXXXVIIJ.

REVERENDISSIMO
in Christo Patri ac Domino,
D. ALBERTO BARANOWSKI,
EPISCOPO PRAEMISLIENSI,
Procancellario Regni &c.
Domino & patrono suo colendissimo.
BASILIUS COLINIUS.

QVi magna pars, & pondere,
Interrita & constantia,
Eras, legendi tertij
Regis Sigismundi optimi.
Et qui salutatum libens
Regnoque ductum Principem,
Per hostibus septam viam
Ibas periculis obuius,
Austros secantem classibus.
Et qui priusquam cerneret,
Ad lictus, inspectans freta
Toto excubabas tempore.
Opponis & qui te obicem
Firmum, vetusta pro fide,

Contra nouantes, vt bonam
Captos reducas in viam.

Alberte Præful candide,

Quas læta fudit patria

Regis sub aduentu noui,

Voces tacemus plurimas.

Has interim quas promimus,

Nam prædo clusit cæteras,

Quæis præditus es doribus

Virtutis, hauri & suscipe.

MATER



Mater Polonia Regi.

*Quæ mihi te tandem tellus, extrema timenti
Reddidit, o fili, patriæ nunquam ne relictae
Te charæ aut subijt, dulcissima cura parentis?
Talia num sensere aliæ solatia matres?
Dulcia maternis pendebant pignora collis
Hactenus, & nullus natiuo limes amori
Obstitit: hæc pietas, hoc fas fuit: ast ego tantum
Quid de te merui, ne quid tibi solius esset
Dulce meum? num sic miseratus amantem es?*

*Atque ego me genitum non iam rata vivere quæ-
Ipsa dolore amens, hæredis & indiga tanti, (quam
Qua surgit Titan, & funditur Oceano nox,
Quo non erravi cælo, quibus orbis in oris
Non secreta dedi populis spectare Polona?
Nacta tuli Gallos, & Pæonas huc peregrina
Gens infusa mihi vires exhausit auitas.*

*Siccine nate tuæ non ante es visere matris
Limina dignatus, quam sub gravitate cruenti*

*Vulneris, aspiceres lethum crudele manentem ?
Eheu, quam timeo, mea liuida membra per osus,
Veliuolas tacitus repetas ne nauita puppes.
Sed nunquam facies, neque me sententia fallat:
Non adeo obtusum gestant mea pignora pectus.
Quin potius lætam risu cognoscere matrem
Incipis, & dextræ optatam coniungere dextram ?
Iam mutat color, & redit in præcordia virtus.
Num potui sperare, ut libera Regibus unquam
Externis, essem gnatum visura Monarcham ?
Huc veni in amplexus, matri minuasque laborem.*

Eiusdem alius occurfus.

*Qualis habet genitrix uteri dum parturit ictus ;
Nec meminit, partum cum videt illa suum :
Sic te Regali dum sistere nitor in vrbe,
Intulit, heu, ciuis quot mihi damna malus ?
Ast tua possessus, cum conspicit ora Vauelus :
Nil nisi lætitia est, qui dolor antè fuit.*

AB VNIVERSA POLONORVM
gente, gratiarum actio CATHARINAE
Reginæ Sueciæ.

Hoc

Hoc demum est sanctum digno coluisse parentem
Pectore, Sismundum, & proavos, Catharina, vetusta
Stirpe Iagellonum, non eluisse profectos:
Seu pelagus, seu te gentes habuere remota
Auetam; & vincolo nimis implicuere tenaci:
Quo duxere tamen, virtusque animique viriles,
Sollicitam patriæ minimo non tempore curam
Ponere, sed tacito absentes sub corde Polonos
Amplecti, solis famamq; decusq; parare,
Præsaga casus perpendere mente futuros.
Quemq; tot infectis in millibus, una virago
Ritibus antiquis, altum venerata tonantem,
Multa rogans numen manibus deuota supinis,
Pro raro è cælis meruisti munere Natum,
Sismundi patris, & veterum magnum instar Auorū:
Cum duri casus, & ineluctabile tempus
Ingruerent, illum fessis donare Polonis,
Et desperatam rursum instaurare salutem,
In patriaque in eo post tædia longa manere.

Editus æquoreas, ubi rauca ad littora, nimphas
Excitat vda Thetis: tamen ô Catharina, paternum,
Istulea edis, ubi præterfluit vnda Vauelum,

Natus

*Natus Ioanni, diues cui Suecia paret:
Fonte leuent ut Sismundum, vincisque fouesque.*

*Moribus ac verbis ubi se Germania profert
Exijt: huc animi studium conuertis, & utroque
Efficis, ut puris valeat certare Polonis.*

*Non ubi Romano vetus est reuerentia clero
Cretus: Et hanc poteras euellere fœmina clauam.
Proficis exemplisque pijs, cultuque seueno
Promouet & natus, quantum non, credere, quisquis
Ad Piscatorem, Tiberinaq; flumina discit.*

*Tanta in Sismundo, charæ stat cura parentis,
Sismundum ut referat, concepta per omnia, primum
Fingis Auum, sit Auus, tota quem mente petisti.*

*Scilicet enatam sobolem permittere patri
Iuduxti, vel amor tanti te coniugis, alto
Auertit cœlo; à functis maioribus hausta
Doctrina, à solito gentis vel amore Polonæ?*

*O pietas, ausisq; virilibus inclyta virtus,
Omnia Spartanis similis veterique Camillæ,*

O miseros,

O miseros, qui tantã animam dimisimus, & vim
Decepti sexu, mentis non duximus huius
Virgineo in vultu, dum Suecica regna petebas !
Dignaꝫ quæ fueras, ut sceptrum aut sola teneres
Virgo domi, robur referens memorabile Vandæ,
Fortibus aut fortes coniunx Regina creares :
Huius adhuc æui, propria ditio, serenos
Exactura dies, ad nostram intenta salutem.

Natali inuitam, non tantum cedere terra
Siuimus, & charis per secula cuncta carere :
Ast etiam insuetis ; per formidata, puellis
Æquora, monstraꝫ tot fluctu reuoluta marino,
Ignotis missam populis, ut fata sinistra
Exciperent, & casibus insequerentur acerbis.
Fecimus, atque grauem regali in vincula partu
Iecimus. O gens sola tuis infensa colendis !

Tu tamen admisis protalibus, omnia contra
Quo melior meliora refers, generisꝫ benignos
Affectus induta semel, si tempore toto
Candida conseruas, nostrum nec ullius unquam
Mutauit grauior præcordia firma reatus :

B

Quo-

Quominus & summo pectus percussa dolore,
Quem dedimus, placida nostram sub mente salutem.
Tractares: Natum (cessit violentia fati
Cui puero, cui post hebetataq; spicula, cunis
Nec quicquam contorta insontibus, experiens Fors
Aeternam sperare dedit per secula pacem)
Sacrates nobis, alieno & tempore regni
Regem sufficeres. Hæc si Catharina merendi
Ignaris facis, & tantum concedis amori.
Tam meritæ tibi, consilijs quæ talibus usa es,
Non opis est nostræ, dignas persolvere grates
Nec, quæcunq; patet, lato subiecta Trioni
Gentis Sarmaticæ, factum & memorabitur istud.
Sed tibi sydereo superum regnator Olympo,
Qui sedet, officiumque tuum curasq; perennes
Lætitiæ stabilis, magna mercede rependit.
Vtere: & in solio natum complexa Polono
Desuper, & populum placando numine firma.

ISTVLA.

Istula, cur totum laxabas ora per annum?
Non nostri volui castra vorare Ducis.
Nunc iuvat incluso submittere brachia fluctu,
Hæcq; Sigismundo dedere colla meo.

R V D A W A.

*M*elicet insolitus foedârit sanguine Mauors,
Ciuibus aduersis qui modo fusus erat.
*T*e tamen antiquo recreem Sismunde susurro,
Pœnas qui causam præbuit, ille luat.

PARAENESIS REGI.

*M*agna quidem nostris adhibenda est machinare-
Robur & Herculeum tanta ruina vocat. (bus,
*H*oc tamen in speculo si te spectabis Auorum;
Inferius duces viribus omne tuis.

S P E C V L V M.

S T E P H A N V S R E X.

*A*ffinem Stephanum, fama super æthera notum,
Magna Iagellonum est quo cumulata domus,
*C*erne: sub hoc timuit scelerata licentia fulmen,
Et Moschus fatum fleuit adesse suum.
*S*i tria lustra sui compleisset viuida regni;
Ordine constares terra Polona tuo.

A V G V S T V S.

*S*ic bonitate suos ducebat Auunculus hostes,
Sanguinis ut pectus gessit inane siti.

*Artibus adiunxit pugnancia regna quietis,
Armorum nobis quæ placuere loco.*

SIGISMUNDVS.

*Quantus Auus, retines cuius de nomine nomen?
Aurea quæ potuit condere secta, probant.
Ille Scythis, Valachis, Turcis, Moschoq; fugato:
In placida regnum pace locauit ouans.*

ALEXANDER.

*Fertur Alexander mentem donasse paratam
Consilijs aures & reserasse bonis.
Hic ergo moriens viginti millia cædit:
Ecquantus sano corpore victor erat?*

IOANNES ALBERTVS.

*Sæpius huic vita, prædis quoq; cessit ademptis
Tartarus: hoc specimen sub patre rege dabat.
Seu fors incunda, seu tristi flauerat aura,
Vtramuis animo, Rex tulit iste, pari.*

CASI-

CASIMIRVS.

*Quot causas diuturna bono dant secula regi,
Tot laudes proauus rex Casimirus habet.
Scis Mariane virum, victas cui Prussia palmas,
Sat bellis annos fessa bis octo dedit.*

VLADISLAVS.

*Vladislaus adest proauis quo fratre videndo
Turca animi primùm diffugiebat inops.
Prodigus ast animæ, & Christi pro nomine fusus,
Romanis cœpit regibus esse pudor.*

IAGELLO.

*En annis Ataus bis centum nobilis, à quo
Omne habet eximium patria quicquid habet.
Dat Christo Lituos, memori te Prussia clade
Affecit; docuit condere templa, scholas.*

*Talibus hosce Patres meritis effingere certa,
Et Deus ut valeas hanc tibi mittat opem.*

IN STEMMA

REGIS SIGISMVNDI III.

*AVrea quæ veniens regno diademata donas
Lilia, Dens, numero iam cecinere suo.
Si tamen ossibus his & floribus anteit aurum,
Si res est umbra dignior ipsa sua.
Aut eris in toto regum ter maximus orbe,
Aut regnis victor præficiere tribus.*

TEMPLVM B. V. M. CRAC. REGI.

*QVæ tibi in hoc templo cœlestia numina flexit
Concio securæ dux fuit ista viæ.
Conficient hostes nec tanta negocia, quin hic
Mater per Natum subleuet alma suum.*



AQVILA REGNI,

Siue

AD ELECTVM DE SVSPECTO
in religione fœdere iciendo ante Diadema

O P T I O.

E rostro vox.

*R*Ex né etiam, cui tot deformia monstra supersunt,
*E*xtirpanda alijs hominum de moribus, addes
*H*æreticæ regno fatalia fœdera pestis?

Alia vox.

*N*unc nunc scire iuvat, quid quis fiet albus an ater.

VELVM NIGRVM EX CORONA
pendulum supra sinistram alam nigram.

*H*ac ego cum regno nigrum properamus ad Orcum.

A PECTORIS PARTE NIGRA AD
alam sinistram, quæ non elata est sursum, sed
pendēs in præceps, interim tota nigra, ad interi-
tus cōminationem cum inscriptione superna

SORITES FORMIDINIS.

Exitia-

*Exitiale scelus si in patria iura reponis,
Iusque quod est contra, statues ius esse perenne;*

Penna Prima.

*Impia perpetuos durabunt pacta per annos.
Sique viros, nequam versabitur inter honestos,*

Penna Secunda.

*Securus: quis homo tandem malus esse timebit?
Si fiet, procul & regno metus omnis abibit;*

Penna Tertia.

*Quis cœcos linquant placita ut temeraria coget?
Si nihil, & sumet scelerata licentia vires;*

Penna Quarta.

*Priscæ non fidei discent assuescere sensim.
Ac nisi sic ullam dederint sermonibus aurem;*

Penna Quinta.

*Nunquam turba fidem talis concurret in unam.
Si patiare fide primum distare sodales;*

Penna Sexta.

*Concordes animis noli sperare futuros.
Sparsit occultum mala si discordia virus;*

Penna

Penna Septima.

*Scindetur totum studia in contraria regnum.
Si sic dissilient auersæ ad plurima partes;*

Penna Octaua.

*Non erit unitum firma compagine corpus.
Si fuerit laceros artus ac membra solutum;*

Penna Nona.

*Nespera fortes ex vlla parte Polonos.
Si talis tristi gens est obnoxia casu;*

IN EADEM ALA AD RADICES
pennarum.

*Hostibus ut leue sit commissam prodere gentem,
At graue Maiorum longos delere labores:
Sed nec regnator longum ditioe sedebit,
Nec se prognatos in debita sceptris reponet,
Obducetque suæ densissima nubila famæ.*

VELVM ALBUM A CORONA
volitans supra alam dextram albam.

Hac ego cum regno cæli conuexa tenemus.

C

Ab al-

AB ALBA PARTE PECTORIS AD
alam dextrā, albam, ad felicitatis signū, elatam
& tangentem nubes, quarū in medio Deus ap-
paret benedicens, cum inscriptione superna.

SORITES BONAE SPEI.

*SI sapiens fortisque semel iurare recuses,
Fœdera tartareo nuper deducta baratro;*

Penna Prima.

*Corruerint extorta gregi vexilla sinistro.
Si fueris pactis liber, vincisque solutus;*

Penna Secunda.

*Quis sua non iusto moderabitur acta timore?
Si bonus & prauus magno discrimine agentur;*

Penna Tertia.

*Exuerit sensus temeraria turba superbos.
Quos ubi formido paulatim abolere cœgit;*

Penna Quarta.

*Sacra fidem, sensum mirari haud temnere discent.
Motibus his similes ubi progredientur ad usus;*

Penna Quinta.

Una fides omnes sensum reuocabit ad unum.

Si

10
Si reddat similes eadem confessio fratres;

Penna Sexta.

Aurea nascetur nostro concordia regno.

Si tali pergant animos coniungere vinclo;

Penna Septima.

Distrahēt imperium diuisio nulla Polonum.

Si tristes stygium seclæ mittantur ad Orcum;

Penna Octaua.

Unitum solido constabit corpore regnum.

Integer æquatis ibit si partibus orbis;

Penna Nona.

Quæ grauior rebus pacis, quæ fortior armis

Natio? Si tali cingas latera ardua ciue;

IN EADEM ALA AD RADICES
pennarum.

Pagina quæ valeat fructus numerare futuros?

Fortia facta patrum fato prohibebis atroci:

Tristibus ô quoties mulctatas casibus vrbes

Eripies, faciesq; suo splendore nitere!

Cùm tibi dulce diu fuerit regnare, tuoque

Participi plenum meritis committere regnum.

SINISTRO PEDE TENET GLADIUM
in signe regis, his notis conscriptum.

*Serpere ne vitium veniens permittit, malusque
Non tibi præcipiat, sed ei tu præcipe contra.*

Dextro

Oppo-

SVB ALA DEXTRA ET SCEPTRO
Ecclesia est, cuius ædificii vertex tangit cœlos.

In cuius pariete hæc sunt.

Hic orat dirimi à malis honestus.
Diuersumque ab eis locum tenere.
Cui bellum gerere, est studere paci.
Ut sit tutus, abhorret esse nequam.
Fædus denegat, at negare pax est.
Ut post sit, modò frater esse non vult.
Nomen non rapit, at fide meretur.
Huic totum sapere, est sequi regentem.
Parendo hic furias fideque frenat.
Huic Ecclesia mater est salusque.
Diuino afficit hic honore Regem.
Regis sacra iuuat, fidemque ad aras.
Ardet subditus hic obire iussa.
Leges accipit, integraque seruat.

DEXTRO PEDE SCEPTRVM

Regni cum iis literis.

*Ut regnum serues, Legatum agis vnus vnus
Tute Dei: solus normam tibi suggeret: & iam,
Cur ita quid statuas, ausit perquirere nemo.*

sita.

SVB ALA LEVA ET GLADIO, DO-
mus est, cuius ædificiū non assurgit, sed cum fun-
damentis deprimitur ad Orcum infra depictum.

In cuius pariete hæc sunt.

Vlt, cū sit malus, in bonis haberi.
Personam similem, & locum tenere.
Pax pax clamitat, est q̄; pacis hostis.
Securus cupit esse, & esse prauus.
Fœdus postulat, est quod acre bellum.
Inquit, frater, & est lupo timendus.
Nostras (hæreticus) iubet vocari.
Qua stat, non ratio est, sed appetitus.
Delirat: sapere id tamen putat se.
Huic Ecclesia pestis & venenum est.
Rex, plaudunt, & ei negant honorem.
Regis sacra, preces, fidemq̄; rident.
Clamant, subditus, obsequi at recusant.
Lex, mos, ius crepitant, & omne vertunt.

MVRIN EXEQVIIS
SERENISSIMAE CATHARINAE
Iagelloniae Reginae Sueciae, per Serenissimam
ANNAM Iagelloniam germanam, Reginam
Poloniae, in Cathedrali Ecclesia Crac. multis cum lachrymis &
magna frequentia celebratis.

MATRIS POLONIAE PLANCTVS.

Quis matri gemitus pectore dempserit
Vndantes lacrymas, quae minuet dies
Iagelloniadis stirpe cadentibus:

Qua maior meritis orbe Trionibus,
Septem supposito non datur aemula?

Non sic pignoribus pluribus editis,
Sperabam sobolem secla perennia
Victuram, solium sceptraque patria
Recturam, quibus haec publica regibus,
Res, longum celeris nescia termini,
Duraret feriens vertice sydera
Aeternum trepidis hostibus ad metum.

His inter miserae fata Poloniae,
Solabar gemitus relliquijs meos.
Quam nunquam Cereris ad generum simul,
Casuram metui hac prole superstitite.

Hac

*Hac nunc spe video diuite decidi,
Causam iamque Minos dicere nos iubet,
Omnes adque suum sistere auct forum.*

*Quis matri gemitus pectore dempserit
Undantes lacrymas, quæ minuet dies
Iagelloniadis stirpe cadentibus,
Extremumque diem dum Catharina obit,
Regina in populo maxima Suecico?
Multis illa bonis flebilis occidit.*

*Nulli flebilior quam socio suo.
Quam germana tibi, quam bona pignora
Vobis, quam populis quos tenuit suis!
Quam tristi patriæ percupidæ sui!
Quam virtutibus his prædita queis fuit!
Dum vixit: rutilo digna polo geri.*

*Aures cui malus hîc non violat sonus?
Vox ista haud populis obstrepit ecquibus?
Stirps (heu) sancta caput venit ad unicum
Annam, perpetuum Lechiadum decus.
Quam, si sæpè timor maximus eripit,
Sors humana sibi conscia quem creat,
Et mutanda homini conditio probat,
Faustam menè putes? orbor & unicum,*

Ceu nullum caput est. Namque quod est parum,
Præ desiderio fit nihil & metu.

Quis matri gemitus pectore dempsit
Vndantes lacrymas, quæ minuet dies
Iagelloniadis stirpe cadentibus?

Eccui ergo bonis ciuibus insito,
Occasus nimium non doleat suus,
Post Regum tumulos fulcraque patriæ?
Ecquis barbarus hæc hostis ut audiat,
Qui nostris simulans inuigilat malis?
Festos nonné suis instituit dies,

Nos prædam fragiles spe rapit & vorat?
Non res tuta nouis nostra nepotibus,

Qui secum patriæ singula uertere
Ducunt esse iocum. Siccine nil stetit
Firmum, quælibet at seu vitio suo,
Seu cælo interitum res ruit ad suum?

Sed quod prima tamen fata Poloniam
Urgent, regnaque tunc integra cetera
Cernent exitium luminibus meum:
Id mecum socij plangite iam malum,
Non, id quæ faciat, posteritas erit.

FINIS.

BIBLIOTH. UNIV.



JAGELLONICAE

2. XII 47.



